

## Rheinisches Urkundenbuch (Ed. Wisplinghoff) Nr. 324

(C.) In nomine sanctae et individue trinitatis. Uuichfridus divina annuente clementia sanctae Coloniensis ecclesiae archiepiscopus. Noverit omnium sanctae dei ecclesiae fidelium praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos superna inspiratione admoniti cum consensu fidelium nostrorum tam clericorum quam laicorum de rebus domni nostri almi Petri ac nostrae sanctae matris ecclesiae venerabilibus sororibus in ecclesia sanctarum virginum extra muros Coloniae civitatis publice et honorabiliter constructa deo die noctuque devote ac religiose famulantibus sui victus alimoniam agmentando ampliavimus. Dedimus itaque eis et de iure nostro in ius et dominationem illarum transfudimus in villa vel marka quae Engilestat nominatur in pago Uuormacense in comitatu Kuonradi comitis curtem cum casa diversisque aliis aedificiis, cum terra salaricia, cum mansis XXXIII, cum mancipiis cunctis utriusque sexus ea incolentibus, cum arpennis XX, cum omnibus cultis et incultis, viis et inviis, exitibus et redivibus, quaesitis et inquirendis omnibusque rebus ad eandem curtem iuste legitimeque pertinentibus, quatinus ab hodierna die ac deinceps pro animae nostrae remedio ibi proficiant in agmentis perpetualiter in dei nomine ad possidendum. Unde hanc cartam conscribi iussimus manue propria simul et ceterorum idoneorum testium manibus roborari fecimus, quorum nomina subterscripta sunt, quatinus umquam usque in perpetuum per succedentia tempora firma et inconvulsa permaneat cum stipulatione subnixa. Et si quis huiusmodi traditionem infringere vel emutare voluerit, iram dei omnipotentis simul et omnium eius sanctorum incurrat ac insuper mox ex divina ultione insanabilis plagae percussione damnatus vitam finiat in die extremi iudicii rationem inde redditurus.

Actum publice in praefata XI milium sanctarum virginum ecclesia VIII kal. decembris, anno gloriosissimi regis Otdonis VI, indictione XIII; in dei nomine feliciter amen.

Signum domni Uuichfridi archiepiscopi, qui hanc cartam fieri iussit ac roborari fecit.  
Signum [ ... ] (SR.) (Sl.D.)

Ego in dei nomine Heribertus presbiter atque cancellarius scripsi hanc cartam anno incarnationis domini nostri Jesu Cristi DCCCCXLI.